



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

XVII. De vers. 17. Longitudine dierum replebo eum &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

sub sole omnia, Hæc omnia sub cælo. Ad quod horum confugium facis? In quo horum omnium speras solatii aliquid, aliquid auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, & oblivioni datum te reperis, tanquam mortuum à corde. Si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam ^l. Si circa te, etiam terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quære ergo supra te; sed cautus esto ventosa agmina transilire. Quia enim omne datum optimum, & omne donum perfectum non nisi defurtum esse noverunt, medium iter latrunculi obfedere. Transi ergo transi per vigiles illas nequitas, quæ tam indefesse custodiunt & observant, ne quis in illam possit evadere civitatem. Si te percusserint, si vulneraverint, dimitte eis pallium ^m, quod in Ægypto olim Joseph adulteræ dereliquit: dimitte sindonem, ut cum Evangelico illo juvene ⁿ profugias nudus ab eis. Nunquid non solum pallium eius & sindonem dederat Deus in manus impij, in cuius facultatem & carnem dans potestatem, *veruntamen animam*, ait, *illius serva* ^o? Ita ergo sursum cor, sursum clamor, sursum desideria, sursum conversatio, sursum intentio, & omnis expectatio tua defurtum sit. Clama in cælum ut exaudiaris, & qui in cælis est Pater mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, glorificet in resurrectione. Magna sunt hæc, sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: Si corde clamemus pio, certe debes ex promisso ^p, Amen.

^p in hymno
Quadrag.

S E R M O XVII.

De ψ , XVII. *Longitudine dierum replebo eum, &c.*

BEne nobiscum agitur, Fratres, satis competit huic tempori versus psalmi. Celebraturis proximè dominicam resurrectionem, jam nunc cuique nostrum sua promittitur, ut festivius in capite suo factum recolant membra, quod in seipsis præstolantur aliquando faciendum. Congruus finis psalmi, ubi psallenti finis promittitur tam beatus. Jucundè completur, dum in eo spondetur repletio tam jucunda. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum*. Sæpius vos admoneo, fratres, quod juxta Pauli sententiam ^a *promissionem habeat pietas vite eius quæ nunc est pariter & futura*. Unde & idem ait ^b: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam*. Ipsa est quæ hoc loco promittitur plenitudo ipsa longitudo dierum. Quid enim tam longum quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis qui finem non habet. Et sane cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis eius vita sine fine.

Sanctimo-

^a 1. Tim. 4. a
^b Rom. 6. e
Longitudo dierum hic promissa est vita æterna.

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. XVI. 561

Sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum ^c. Longi- ^e H b. 12. d
tudine, inquit, *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Dextræ Dei ^d
est ista promissio, munus est dextræ quam sibi olim Sanctus porrigi optabat. ^e
Operi, inquit ^d, *manuum tuarum porriges dexteram:* delectationes in dextera ^d Job. 14. c
hac usq; in finem. Hanc nimirum & ille sibi porrigi optavit & obtinuit de- ^e Psal. 20. a
xteram, de quo Psalmista ait ^e: *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem* ^f Prov. 3. c
dierum in seculum & in seculum seculi. Manifestius deniq; sapiens dixit ^f: *Vita presens*
In sinistra illius divitiæ & gloria, in dextera eius longiturnitas vita. Quis est ^g Gen. 47. b
homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hæc enim vita qua vivi-
mus, magis mors est? nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur ho-
mo dicimus, quando morti certissime appropinquat. Quid vero agimus
ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, & incipere
mori? Sed & dies qualescunque vitæ huius pauci & mali sunt, sicut sanctus
patriarcha testatur ^g. Ibi verè vivitur, ubi vivida vita est & vitalis. Ibi dies
boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Gratias ei qui tam non mo-
do fortiter, sed & suaviter disponit universa. Eorum nempè paucitas die-
rum finietur brevi, quorum sufficit cuique malitia sua. Ubi autem die-
rum bonitas, æternitas quoque non deerit.

Longitudine dierum replebo eum. Quod prius dixerat, glorificabo eum, ^d
evidentius hoc versiculo declaravit. Cui tamen non sufficeret ab eo glo-
rificari, cuius perfecta sunt opera? Non enim tanta immensitas nisi in im-
mensum quempiam glorificare potest. Necessè est magna sit glorificatio à
magnifica gloria quæ descendit. *Voce delapsa à magnifica gloria* ^h, ait Pe- ^h 1. Pet. 1. d
trus. Bene magnifica gloria glorificans tam magnificè, in longitudine, in ⁱ Gloria futura
multitudine, in plenitudine claritatis. Fallax gloria, & vana est claritas, ^j verè magna,
dies hominum brevis. Sapiens eiusmodi non optabit: magis loquetur ex ^k presens fallax
corde ei qui intuetur cor. *Et diem hominis non desideravi: tu scis.* Ego ^l Jerem. 17. c
tamen plus aliquid quàm non desiderat desidero, ut ne recipiam quidem.
Scio enim cuius vox sit ^k. *Ego claritatem ab homine non accipio.* Quàm ve- ^m Ioan. 5. g
ro miseri, qui gloriam quæ abinvicem est quærimus, & nolumus eam quæ
à solo est Deo. Sola siquidem ea quam solam negligimus, longitudinem
habet, sola repletionem. Breves dies hominis, & dies eius tanquam flos
agri sic efflorescit. *Exsiccatum est, inquit* ^l, *fanum: & cecidit flos, verbum* ⁿ Esa. 40. b
autem Domini in æternum manet. Verus nimirum dies qui non novit oc-
casum, æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera æternaque fatietas.
Alioquin quomodo gloria illa replebit, quæ fallax & vana est? Denique &
inanis dicitur, ut noveris te ex ea magis exinaniri posse, non posse repleti.
Bonum ergo interim magis abjectio quàm elatio est, bonum magis neces-
sitas quàm voluptas: quod cum utraque res citius transeat, altera poenam
habeat, altera sit paritura coronam.

Utilis

Tribulatio utilis & necessaria.

In tribulatione non presentia & appetentia sed futura & abscondita cogitanda.

*m2. Cor. 4. d
* Rom. 5. a*

In tribulatione spes gloria, veluti in semine.

** 2. Cor. 4. d*

p Eccl. 7. a

q Psal. 72. a

r Prov. 8. d

Utilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipso sum*, inquit, *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Agamus gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, & in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim, ut dixi, necessaria tribulatio quæ in gloriam vertitur, tristitia quæ mutatur in gaudium. Gaudium sanè longum quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, fratres: semen modicum est: magnus exinde fructus exurgit, Fortè insipidum, fortè acerbum est, fortè granum sinapis. Non consideremus quæ videntur: sed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna^m. Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Non solum autem, sed ut dicam expressius, gloriemur in tribulatione. In ea siquidem spes gloriæ est. Vide si non hoc ipsum docere voluit Apostolus cū subjunxit^r: *Quoniam tribulatio patientiam operatur, &c.* Manifestè advertere est in his verbis cum præmisisset Apostolus *gloriarī in spe*: non aliud aliquid sed amplius eum addidisse dicendo: *Non solum autem, sed & gloriarī in tribulationibus*. Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur ubi spes gloriæ, ubi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. In hunc modum etiam modo regnum Dei intra nos est, thesaurus ingens in fictili vase, in agro vili. Est, inquam, sed absconditum est, felix qui ibi invenerit illud. Quis ille? Nempe qui messem magis cogitaverit quàm sementem. Oculus fidei invenit hunc thesaurum, non secundum faciem judicans; sed videns quæ non apparent, sed intuens quæ non videntur. Quàm veraciter hunc thesaurum invenerat, quem volebat inveniri & ab aliis, qui dicebat^o: *Momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis*. Non dixit remunerabitur, sed *æternum pondus gloriæ operatur in nobis*. Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublimè & supra modum. Interim ergo festinemus nobis emere agrum istum: emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus cū in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia. *Bonū magis ire ad domū luctus, quàm ad domum conviviū*. *Cum ipso sum in tribulatione* ait Deus: & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est^r. Non solum autem, sed & ponere in Domino spem meam: quia *eripiam eum*, inquit, *& glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione. Delicia*, inquit^r, *mea esse cum filiis hominum*. Emanuel nobiscum Deus. *Ave gratia plena*, ait Angelus

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. XVI. 563

gelus ad MARIAM, Dominus tecum *S.* In plenitudine gratiæ nobiscum, in plenitudine gloriæ erimus nos cum eo. Descendit ut *Luc. 1. c.* prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus: imò qui tunc patria, modo sit via. Bonum mihi Domine tribulari, *Tribulari bonum modo Dominus nobiscum.* dum modo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriarì. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Aurum probat fornax, & viros justos tentatio *Eccli. 27. a* tribulationis. Ibi ibi cum eis es Domine, ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere ut diceret, quia *species quarti, similis filio Dei*. Quid trepidamus, *Dan. 3. 8* quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævitur ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu eius? Quis est qui de manu eius possit eruere? Postremo si ille glorificat, quisnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit?

Audi denique quam gloria ipse glorificet. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum*. Et primo quidem in eo quòd dierum nomen pluraliter posuit, non vicissitudinem aliquam, sed multitudinem voluit commendare. Alioquin si vicissitudinem suspicaris, melior est dies una in atriis *Psal. 73. a* Domini super millia. Legimus sanctos atque perfectos viros etiam ab his diebus nostris plenos migrasse dierum: nec sanè aliud quàm virtutum plenos, plenos intelligimus gratiarum. Nimirum in hanc plenitudinem velut de die in diem, de claritate in claritatem, non quidem à suo, sed à Domini spiritu transformantur. Si ergo dies gratia dicitur, si (ut supra meminimus) etiam dies hominis, claritas quæ ab homine est; & male nitens gloria, quam ab invicem quærimus: quomodo non magis verus dies & plenus merities veræ gloriæ plenitudo; Quòd si dies plurimos divisiones dicimus gratiarum, quomodo non in multiplici gloria dierum intelligitur multitudo? Postremo evidentius audi sine ulla vicissitudine dies multos. *Erit lux lunæ sicut lux solis* (ait Propheta) *& lux solis septem plures sicut lux septem dierum*. Istis (ni fallor) cunctis diebus vitæ suæ psalmos suos cantare in domo Domini Rex fidelis optabat. *Isa. 30. f* Erit enim devotus esse Deo ad singula tantæ & tam multiplicis gloriæ munera, & in omnibus semper gratias agere, quasi cunctis diebus psalmos dicere nomini eius. *Isa. 38.*

Longitudine dierum replebo eum. Ac si manifestius dicat: Scio quid desideret, scio quid sitiat, quid sapiat ei. Non ei aurum vel argentum sapit,

Sermones S. Bernardi.

Bbbb

non

Qui terrena
& caduca fa-
stidit is mere-
tur celestibus
& æternis re-
pleri.

non voluptas, non curiositas, non dignitas aliqua sæcularis. Omnia de-
trimentum facit, omnia aspernatur & arbitratur ut stercora. Exinanivit
penitus semetipsum, nec se ex his patitur occupari, quibus novit se non
posse repleri. Non ignorat ad cuius imaginem conditus sit, cuius ma-
gnitudinis capax fit: nec sustinet de modico crescere, ut de maximo mi-
nuatur. Itaque *longitudine dierum replebo eum*, quem nisi lux vera reficere,
nisi æterna implere non potest. Siquidem nec longiturnitas illa termi-
num, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim
securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de satietate. *Et o-*

stendam illi salutare meum. Nimirum extunc videre merebitur quod
optavit, cum sibi rex gloriæ gloriosam exhibebit Ecclesiam, non haben-
tem maculam ob splendorem diei, sed neque rugam ob omnimodam pleni-
tudinem sui. Alioquin ad illius fulgorem luminis sicut non impurus, sic
ne turbatus quidem in aliquo animus vel inquietus affurgit. Inde est quòd
nunc quoque (ut supra memini) sanctimoniam simul & pacem sectari præ-

Heb. 12. d
Futura gloria
statum.

cipimur^a, quòd sine his nemo videat Deum. Cum ergo repleverit in
bonis desiderium tuum, ut non aliud sit quod requiras, serenato penitus
ex ipsa plenitudine animo, videre jam poteris serenitatem illam, illam ple-
nitudinem majestatis similis Deo factus, quòd videas eum sicuti est: aut
forte jam plenus omni gloria in semetipso, etiam foris salvationem quam
operatus est Deus, & plenam majestate eius omnem terram undique cir-
cumspiciet deliciosissimus deliciosissimi seculi habitator: ad hoc quoque
referri posse videbitur quod adjecit: *Et ostendam illi salutare meum.*

Psal. 120. c

Alioquin accipiamus, si magis placet, etiam hoc modo, ut ipsos quos
promiserat dies, in hac ostensione salutaris exponat. *Longitudine*, inquit,
dierum replebo eum. Et tanquam quæres, unde erit dies in civitate de qua
legimus^b, quia non lucebit ibi sol per diem, nox enim non erit in ea: *O-*

Ap. 21. g

stendam illi, ait, *salutare meum*: ut quemadmodum & in illa scriptura dici-
tur: Lucerna eius sit agnus. *Ostendam illi salutare meum.* Non jam in fide
erudiam, non jam exercebo in spe, sed specie adimplebo. *Ostendam illi sa-*

Psal. 84. a

lutare meum, ostendam illi Iesum meum, ut in æternum jam videat in què
credidit, quem dilexit, quem semper optavit. *Ostende nobis Domine miseri-*
cordiam tuam, & salutare tuum da nobis^d. Ostende nobis salutare tuum, &
sufficit nobis. Qui enim videt illum, videt & te: quia ipse in te, & tu in
ipso. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & què

Ioan. 17. a

misisti Iesum Christum^e. Itaque tunc dimittes servum tuum Domine se-
cundum verbum tuum in pace, cum viderint oculi mei salutare tuum, Je-
sum tuum, Dominum meum, qui est super omnia Deus benedictus in sæ-
cula, Amen.

Finis Sermonum in Psalm. XC. Qui habitat.

S. P. BER-